

Alte Drucke

**MATTHÆI || GALENI, S. T. || DOCTORIS, ET || APVD
DVACENSES || CANCELLARII, || COMMENTARIVS || In D.
PAVLI ad Hebræos || Epistolam. || Vnà cum eiusdem ...**

Galen, Matthaeus van

Lovanii, 1599

CAPVT SEXTVM.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150590

cultatē pati. Tantum est operæ pretium diuino munere suos sensus superasse.

Ad discernendum bonum, & malum. Vide, quænam ad istud requiruntur. Primum opus est integræ vitæ, innocentia, iustitia; deinde studio, diligentia, exercitio: unde liquet indignum esse crassissimos homines de doctissimis ferre sententiam; & iis omne deferri iudicium, qui apostolicè iudicandi nullam habent facultatem. Proferantur arbitri iusti, qui laqueis Diaboli non aliorum trahantur a recto, quiq; in re, de qua sunt pronuntiaturi, sint versati, ad sint ex scripturarum assidua lectione talium iudiciorum exempla, scripturarum (inquam) non hæretico, sed christiano spiritu intellectarum. Talibus enim boni, maliq; discrimen tuto deferetur.

CAPVT SEXTVM.



VID ex isto capite lector sibi promittere debeat, ferè liquet ex præterita inscriptione, quæ docet, quo tempore primi Christiani in ecclesiasticis conuentibus eo vsi fuerint. Primum igitur discemus, quid sit maxime proponendum candidato baptismi, et quid ab illo requirendum; quæ etsi in nostris infantibus locum non habeant; latent nihilominus quamplurima, quæ adultos spectent: deinde quo pacto sit agendum cum hominibus à baptismo relapsis. Exagerrat enim Paulus peccati grauitatem: quare nihil est vtilius, siue ut quis, quantum debeat Deo, priuatim ediscat; siue ut poenitentium dolorem ad iustam magnitudinem pro-

Epistola

prouehat. Nec mediocriter aduersus Caluini confusionem instruemur, qua triplicem scholis orthodoxis notissimum baptismum in vnum compingit, atque ex Christianis regni caelorum haredes progigni perfidiosus affirmat.

Syr.

Vulg.

Propter quod relinquemus principium sermonis Christi, & veniemus ad perfectionem; aut quare fundamentum aliud iecistis poenitentiae ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, & doctrinae baptismi, & impositionis manus, & resurrectionis à mortuis, & iudicii aeterni. Si Dominus permittat, faciemus istud.

Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectionem feramur: non rursum iacentes fundamentum poenitentiae ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, baptismatum doctrinae, impositionis quoque manuum, ac resurrectionis mortuorum, et iudicii aeterni. Et hoc faciemus, si quidem permiserit Deus.

Propter quod. *Quid illud? A iunt interpretes, quia segnes, ac veterinosi effecti estis. Vos priorem ea satis edocti fuistis, si modo in mentem reuocare volueritis: nos autem ad alia properamus.*

Principij autem nomine intelligit prima fidei rudimenta. Sermo verò Christi, doctrina necessaria
quis

animis, qui vult esse Christianus, appellatur.

Et veniemus ad perfectionem. Nimirum, allegoricam doctrinam, & qua habet sibyllina dogmata de divinitate, rebus cœlestibus, Christi incarnationis, nostræq; redemptionis occultiore mysterio. Veteres huc ea pertinere volunt, qua Christi numen, & maiestatem demonstrant, nec agnosci possunt ab aliis, quàm qui præditi sunt erudita fide, vitæq; puritate. Ad hunc locum patres annotant operum cum fide necessarium esse coniugium.

Aut quare fundamentum aliud iecistis pœnitentiæ ab operibus mortuis. Hoc est primum caput catechismi Christiani. Cum primum instituebamini, iaciendum erat fundamentum Pœnitentiæ, &c. Est periphrasis peccatorum, qua nos lethifera vocamus: non solum quia vita, & merito carent; sed quod infligant mortem iis, qui ea patrant. Sed neque negligenda vox μεταβολας, qua in scripturis ad eam propriè pœnitentiam pertinet, qua in baptizandis hominibus requiritur: unde non omninò malè à quibusdam per resipiscentiam vertitur. Nec enim tunc opus est labore tanto, quanto cum homo per summum nephas hospitem animæ Spiritum sanctum expulit. Catechumenus enim, si nonnulla ducatur pœnitudo, non censetur ineptus: quia quod deest, perficit laudacrum superveniens. Vis igitur Judæum, et ethnicum ve servare? Exordium est à capite, detonandum fortiter: Pœnitentiam agite, &c. intèrea non est anxie disquirendum in peccata, quæ in Diaboli mancipiis, & alienis à Christo ferè sunt conspicua. Istius rei Paulus in signo præbuit exemplum, dum apud fœlicem concionatus est. Videns enim

enim hominem iniquum, qui omnia haberet vana-
lia, de iustitia sermonem instituit: deinde quia non
ignorabat libidinosum, de castitate disputationem
admiscuit; mox aculeos de futuro quondam iudicio
repperit. Quid multis opus? Ita tractavit homi-
nem, ut ille tremefactus amandaret Apostolum,
vim docentis non ferens: quia nimirum prae-destina-
tionis beneficio non adiuvabatur.

Et fidei in Deum. Hoc est alterum caput. Post-
quam enim homines sunt concussi, & horrendo scele-
rum suorum obtutu pauore consternati, querunt
consilium. Quid agimus, aiebant illi? (Credite in
Act. 2. & 3. Deum, Baptizetur unusquisque vestrum: Si
credis ex toto corde, licet baptizari tibi. Iam
sequitur tertium.

Et doctrinae baptismi. Lucas ingeniose usus
est voce διδῶν, quae acceptam a praeceptore doctri-
nam indicat: ut norimus non satis catechistam pra-
clare functum officio, si dicta non possit reddere ca-
techumenus. Nam in illuminationis sacramento
Eccl. H. c. 2. narrat Areopagita fuisse tentatos, quam exactè fi-
dem essent edocti: quod & sua aetate factum scribit
Lib. 1. ep. 6. Cyprianus, eamque vocat legem symboli. Pro bonis
& 12. ergo Christianis non videntur habendi, qui, dum per
aetatem licet, discere nolunt, sine quibus tueri nomen
suum non possunt. Quia autem Graeci pluraliter ef-
ferunt τῶν βαπτισμῶν, quidam ad multiplices In-
diciorum loriones, quatuor meminit Epiphanius, Apo-
stolum respexisse autumant, huius commentarii an-
sam eis porrigente, quod postea dicitur: Impossi-
bile est tales renouari ad poenitentiam, &c. hoc
sensu. Unus est baptismus; quemadmodum & fides
vna.

In Phari-
saeis.

vna: Si sanctimonia iacturam fecistis; poenitentia, non repetito baptismo, sarcitur. Latini confugiunt ad vulgarissimam baptismi distinctionem; quod tamē hoc loco nimis peregrinum: reliquis videtur enallage. Hæretici (quia & hoc scire est operapretium) dicunt intelligendum de ceremoniis, vel diebus statis baptismi: quæ & noua est, & ad rem non pertinet interpretatio. Mihi placet enallage; præsertim cūm syrus Paulus conspiret: alioquin putarem trinam mersionē, quæ est Apostolica institutionis, denotari.

Et impositionis manus. En, catechumeni debebant sacramenti confirmationis intelligere rationes. Chrysostomus, Gennadius, Theophylactus, &c. ad manuum episcopaliū impositionem, ad quam conferebatur Spiritus sanctus olim conspicuē, nunc arcane; Calvinus ad baptismum retorquet. Cui potius habenda fides?

Et resurrectionis à mortuis. Istud quintum caput catecheseos est aliàs à nobis pertractatū; licet ob rei difficultatē tractari satis nequeat. Huic enim totus mundus est reluctatus. Quis enim intuitus sepulchrorum fœtorem, ex tēplo cineres in carnē, sanguinem, & ossa reformari; hanc oculorum, oris, totiusq; vultus gratiam restitui; & ad eadem animam redituram non putaret difficilimum?

Et iudicij æterni, vel seculi, seu secularis. In illo enim iudicio pronuntiabitur sempiterna sententia, qua boni nunquā finiendæ addicentur felicitati; mali perpetuis suppliciis. Hæc priscis catechumenis prædicebantur contra relapsiones. Quæ enim (cedo) recordia non putas tibi esse metuendum? Nunc accedit membrum alterum, quod conclusionis, & ad id, quod

Epistola

quod nuper promittebat, transitionis speciem habet.

Si Dominus permittat, faciemus istud. Plurisque videtur id dicere Paulus: De Melchisedecianis perfectioribus mysteriis differemus. Sed quoniam addidit: Si permiserit Deus: mihi magis adubescit aliorum sententia: Prosequemur sublimiora, si Deus vota nostra secundet. Nam si de illorum dūtaxat perfectione intellexisset: non videtur conditionem adiuncturus. Ut ut sit, in hoc capite istud non faciet: sed capite decimo, & decimotertio quaedam admiscebit; omnia tamen velut in transcurso, nec eo modo, quo solebant catechista. Notandum autem, quod monent interpretes hinc nos edoceri Paulum fuisse calamum Spiritus sancti; nec eos audiendos, qui apostolis, & evangelistis memoria lapsum non verentur affingere: cum nihil illi suo scripserint arbitrio, sed Dei.

Vt Otto
Brunsfel-
dius.

Syr.

Vulg.

Verum non possunt ij, qui vno tempore in baptismum descenderunt, & gustauerunt donū cœlestē, & acceperunt Spiritum sanctū, & gustauerunt verbum bonum Dei, & virtutem seculi futuri, rursum peccare, &

Impossibile enim est eos, qui semel sunt illuminati; gustauerunt etiam donum cœlestē, et participes facti sunt Spiritus sancti; gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque seculi venturi, et pro-

Vel potentiam.

re-

lapso

renouari ad poenitentiam, & rursus crucifigere filiū Dei, & contumelia afficere.

lapsi sunt: rursus renouari ad poenitentiam, rursus crucifigentes sibi metipsis filium Dei, et ostentui habentes.

Verum non possunt. Communis lectionis vocem non soli Nouatiani olim deprauatam in hæreticum sensum detorserunt; sed & illi Phryges, in quorum sententiam concessit Tertullianus. Non desunt, qui pro rara & re admodum difficili interpretantur: sed id re vera tamen significatur, quod simpliciter fieri nequit; quamuis & hoc sit intelligendum christianè, & secundum quod est à Deo constitutum, cui unicum placuit esse baptismum.

Qui vno tempore in baptismum descenderunt. Hæc, quid latine versionis illuminatio sibi velit, explanant. Sic autem baptismus dictus est: quia & reuellit à Iudæorum oculis oppansum velamen; & spiritualibus charismatibus hominem imbuunt. Quis autem græcas, aut latinas historias vel à limine salutauit; qui non viderit in profundissima nocte, & errorum densa caligine versatos homines huius illuminationis expertes, etiam tūc maxime, cum se in solem ipsum incurrere crederent? Utitur autem descendendi verbo aptissimo temporum apostolicorum ceremonia; quibus homines vel in flumines descendeant, vel in baptisteria demergebatur.

Et gustauerunt donum cœlestis. Theologi veteres vno ore interpretantur de remissione peccatorum, à Deo in baptismo concessa. Hæc est autem lū-

Arceopag.
Ecl. Hier.
cap. 2.

Sic narrat à diuo Petro baptizatum in Tiberi Tertullianus lib. de bap.

Q

ius

ius appellationis ratio; quod tam sit efficax baptis-
mus, ut contritiones, tormenta, relapsorumq; a ba-
ptismo carnificinam, vitæq; antea tam accura-
tam deplorationem, quam y præstare debent, qui cœ-
lestium quondam donatarum opum fecere peccando
lachrymabile naufragium, non requirat: sed plena
manu peccatorum omnium condonationem, & cornu
copie gratiarum effundat. Calvinus ne istud suo va-
nissimo commento verè iustificatum, scilicet, relabi
non posse, officiat: hunc gustum de hypocrisi inter-
pretatur, quia summis quispiam labris degustato
sacramento, gratie nihil consequitur. Veteres autē,
quos alibi recensimus, tantum abest, ut de hypocrisi
interpretentur; ut de toto effectu, & gratie pleni-
tudine intelligant. Hac autem usus est metaphora
Paulus; ut quicquid hic sit, nihil nisi pertennis eius,
quod futurum est, gustus esse credatur.

Et acceperunt Spiritum sanctum. Vbi? In
sacramento confirmationis, inquit vetus theologia.
Hec duo autem ita coniungit Apostolus: quia in pri-
mitiva ecclesia ferè simul exhibebantur, ubi Episco-
pi baptizabant. Debes autem ea intelligere, quæ nu-
merat Esaias capite undecimo.

Et gustauerunt verbum bonum Dei. Gu-
stare istud est quantum fieri potest percipere; du-
cta metaphora a sensu ad affectum. Quidam simpli-
citer de verbo, & scriptura interpretantur; ut aliud
nihil sit, quam diligenter addidicisse Dei volunta-
tem, quod hic dicitur Theodoretus autem meo iudi-
cio optimè Dei promissa intelligit, is occurrētia sub-
inde, qui gnaviter pergunt in semita christiana, &
candidam suam immaculatam servare nituntur. Et
si quid

Tertul. lib.
de pudici-
tia.
Epipha-
nus in No-
uato.

seuon dī
-ō quib
-ō quib
-ō quib
-ō quib
-ō quib
-ō quib
-ō quib
-ō quib
-ō quib
-ō quib

si quid ad rem faciat varia constructio huius verbi
 γευσα, μενους θεου πρῆμα: fortassis designat hic accu-
 sandica sus non mediocriter, nec summis (ut aiunt)
 labris homines verbum Dei degustasse; sed imbibis-
 se penitus, atque ingurgitasse.

Et potentiam seculi futuri. Nonnulli de vir-
 tutibus agi putant, & mirifica vi miraculorum, qua
 ferè iusti, & sancti pradii sunt: sed quia videmus
 Apostolum respicere ad ea, quæ est interpretatus;
 ideo Photij, & aliorum potior est sententia, hanc vir-
 tutem sensum, & plenam earum rerum, quæ sient in
 futuro seculo, persuasionem intelligentium. Est enim
 quodammodo gemina vis futuri iudicij, quæ sancti
 donabuntur beatissima vita; impij autem iligabū-
 tur æternis suppliciis: & illius quidem, qui sanctus
 est, gustum hic aliquem percipit, totaq; mète ad per-
 fectius hauriendum contendit. Hæc igitur ad osten-
 dendum pertinent, quanta sit hominis Christiani,
 qui post baptismum in mortalia relabitur, indigni-
 tas, & ingrati animi piaculum.

Rursum peccare. Græci legunt παρὰ τὸ σὺνταξ;
 Epiphanius in Catharis περὶ τὸ σὺνταξ; eò quòd circū-
 stantias velit intellectas. Homo enim in baptismo
 cursum instituit. Græcum autem verbum impactio-
 nem, et ruinam in alterutrum latus significat. Quòd
 si placuisset interpreti uti voce Dilapsi sunt, melius
 quò alluderet, cerneremus. Caluino solam visum est
 apostasiam, & infidelitatem hinc intelligere: Patres
 autem aiunt Paulum agere de iis, quæ Ioannes vo-
 cat peccata ad mortem, cuiusmodi multa sunt ali-
 quot locis enumerata, comesationes, furta, scortatio-
 nes, homicidia, &c. Quod Syrus etiam confirmat

Apostolus, peccandi verbo sine metaphora usus. Non possunt igitur, qui huiusmodi sunt.

Renouari ad pœnitentiam. eis περὶ μετανοίας.

Chrysostomus per id exponit: Quicumque mortale patrarint post baptismum, non possunt renouari, id est, iterum baptizari; quemadmodum ex capite tertio ad Titum, & omnibus, qui contra Nouatianorum immanitatem scripserunt, liquet. Ut enim putres, ac ruinosæ domus ab ipsis usque fundamentis instaurandæ sunt: sic homo in baptismo ita renouatur, ut nihil damnationi supersit obnoxium. Nos eam quoque pœnitentiam intelligimus, quæ imponitur baptizatis. Vix enim fieri potest unquam, ut relapsus fiat totus sanus, uti fuerat in baptismo: sed relinquitur quedam carnis cicina, saccus, cineres, crebraque ieiunia supersunt. Sed & istud notandum, Patres eosdem, & maxime Gregorium in oratione de baptismo, triplicem tunc fieri gratiam adserere. Est enim primum sanctas, & (ut cum Tertulliano loquar) valentia quedam; deinde sequitur perfectio, quæ nihil patitur superesse, quod hominem Deo reddat inuisum: ac postremo datur corona, quam nostri vocant innocentiam, de qua Ioannes Apocalyp. capit. 3. & 2. Eleganti vero similitudine virginitati comparant: ob quam deperditam agere quidem pœnitentiam, sed amissum decus integritatis recuperare non posse hominem idem, Epiphaniusque testantur. Unde quanta sit Christianorum impudentia cernere est, in peccatis gravisissimis ludentium: cum illi sanctissimi nostri maiores tam fuerint solliciti, ut post longissimas lachrymas saltem vulnus coiret. Quondam a Nonato turbata occidentales ecclesie,
secus

Cyillus.
Gregor. in
extr. orati
one de S. lu
minibus.
Epiphan.
Hæc. 50.

secus hunc locum explanabant; adeo ut plerique Episcopi, propter hunc, & alterum capitis decimi, totam epistolam censerent explodendam: sed doctissimi viri Ambrosius, Cyprianus, Cornelius, & alij fortiter ierunt obuiam, quorum adhuc supersunt fortissima pro veritate suffragia. Sed audiamus reliqua; & videamus, quanta cum Christi contumelia sit coniunctum, velle facilitatem baptismalem iterum experiri,

Et rursum crucifigere filium Dei. Vis rebaptizari? vis prima benignitate renovationis uti? Seis quid illud sit? Iam dixit Apostolus. Neque hoc tantum: sed quoties mortifero scelere te contaminas post baptismum, toties Dei filium quodammodo configis cruci. Nam conscripti Christo in baptismo, cum eodem pariter resurgunt, non amplius, ut nec ille, morituri; sed gloriosissimum illum confisum ad dexteram patris, omnemq; resurrectionis, & ascensionis ad cælos honorem, vita incorruptione representaturi: quod si excidant; perinde faciunt, ac si denuo Christus vita defungeretur.

Et contumelia afficere. Græcum *παράδειγμα* tale quid significat, quale quondam in adulteris, & nunc in latrunculis fieri videmus; quos nequitia exemplum statuunt leges, impune omnium irrisoribus expositos. Syrum vocabulum pro ea contumelia usurpatur, que palam alicui infertur, ac publice. Qui autem à baptismo relabuntur, quantum in ipsis est, omnia in Christum ludibria congrunt, que tempore mortis impij Iudei, ac Romani iactarunt: quia dum ipsorum relapsione crucifigitur, mox accedant necesse est catæva. Predixerat ille

Cornelii epist. ad Fabium Antioch. apud Eusebium li. 6. ca. 43. Eccle. H. Cypriani epist. 8. librisecundi. Ambr. li. 2. ca. 3. de poenitentia.

Epistola

post mortem fore se gloriosum, dextrum patri ad-
fessurum, inde venturum ad iudicium: isti suis ope-
ribus non esse immortalem ostendunt, & quasi vociferantur: En, rediit Christus ad sputa, ad flagella, ad crucem, &c.

Syr.

Vulg.

Propter
quos) ad
verbum.

Terra enim, quæ
imbibit pluuiam ve-
nientem in se tempo-
ribus multis, & gignit
herbam necessariam
iis, à quibus colitur,
consequitur benedi-
ctionē à Deo: ea au-
tem, quæ profert tri-
bulos, & spinas, repro-
ba est; & non longè
distat à maledictio-
ne; sed finis eius est
combustio. Persuasi
verò sumus de vobis,
fratres mei, quæ ho-
nesta sunt, & vicina
saluti; tametsi sic lo-
quamur.

Terra enim se-
pè venientem su-
per se bibens im-
brem, & generans
herbā opportunam
illis, à quibus coli-
tur; accipit benedi-
ctionē à Deo: pro-
ferens autem spi-
nas, ac tribulos, re-
proba est, & male-
dictio proxima; cu-
ius consummatio in
combustionem. Cō-
fidimus autem de
vobis, dilectissimi,
meliora, et vicino-
ra saluti; tametsi
ita loquimur.

H7 Certe nullum relinquit socordia, & ignavia
locum Paulus: sed apertissime vicinum denū-
tiat periculum; nisi ingrati esse desinant, sanamq;
doctri-

doctrinam moribus exprimant.

Terra enim, quæ imbibit pluuiam. Vox syra (metro) quamuis pluuiam, vt olim imber Latinis, teste Nonio, significat. Quia autem actum est de baptismo, Paulus aptissime comparat Hebræos terræ irrigatæ pluuiæ.

מטר

Venientem in se temporibus multis. Sæpe numero. Solent enim Syri aduerbium circumloqui.

Et gignit herbam necessariam iis, à quibus colitur. chaschach isbo duabus græcis vocibus ἑρβή & ἰσθὲς respondēt; herbamq; significant hominibus, & iumentis necessariam. Terra igitur opportuna iis producendis, quæ sunt cultoribus necessaria, non modo ex eis, quæ illi seminando credita sunt, sed & quæ aliàs sponte gignuntur.

חשכא

Consequitur benedictionem à Deo. Putant hic perstringi diuina providentiæ inficiatores. Deest benedicere terræ, cui olim maledixit: & idem ad eum modum spiritualement in nobis per baptismum, & alia sacramenta agriculturam exercet.

Ea autem, quæ profert tribulos, & spinas, reproba est. Participium græcum ἐκπεποισσά, copiā, & veluti quandam ebullitionem indicat: quia magno prouentu noxiarum, & inutilium herbarum reproba terra luxuriat. Id autem significatur, quod est 1. cor. 9. Nè aliis prædicans, ipse reprobus efficiat, id est, ἀδόκιμος, qui declarat se spem frustraturum de se bonam, qui longo usu, & experimento se loco, & nomine probat indignum. Nec enim prius desperat agricola de terræ fecunditate, quam tentatis, & exploratis omnibus. Est hominis reprobæ descriptionis.

Q 4

Et

Et non longè distat à maledictione. Occurrit desperationi. Nec enim iam dicit incendio destinatam, sed non procul abesse: vt si in tempore ad officium Iudei redeant, euident exitium.

Sed finis eius est combustio. Rustici lolium, & cetera agrorum vitia exurunt stirpitibus, deinde cultu, & stercoratione sperant fructum: idem est finis malorum. Hac autem ad Hebræos pertinere subiuncta commendatio manifestat. Homines igitur compluti doctrina, donisque Dei, si fructum fecerint, sortiuntur à Deo bonorum operum remuneratæ mercedem: qui autem secus, non solum de Deo, sed & de aliis cultoribus, de quibus seipsum pessimè merentur. Cultorem enim feracis agri delectat leta seges, angelos in futura vita beabit clientum obedientia: si autem bonus pastor incidat in ingratos, vt salutem adipiscatur, carebit tamen illo additamento, quo eius virtutes erant alioqui exornanda. Non tamen spes prouentus abiicienda, etiam in improbis. Tunc enim esset eos planè perdere. Itaque vel fingere spem nonnullam satius est. Apud generosos autem, & pios dissimulandus erit profectus, vt semper altiora capessant. Attendamus exemplum Pauli.

Persuasi verò sumus, &c. Fecerat mentionem maledictionis, dixerat periculum iis, qui spinas, & tribulos, id est, peccata ferrent, imminere nondum adesse. Quidam Hebræorum victi malis, Christi nomen eiecerant: dissimulat tamen Paulus, sibi quæ meliora de ipsis animum præfagire dicit, ac eos se bonam feracemque terram fore sperare.

Vicina saluti. ἐπὶ ὁρῶντα γάρ ημεῖς. Sentio vos ita vicinos saluti, vt tantum non apprehendisse putem:

ego fidem vos ita mordicus retinere puto, ut nunquam amittatis. Sic ignavis addit animum, iniecta spe, auget autem ingenius, ostenso premio.

Syr.

Vulg.

Nō enim iniquus est Deus, vt obliuioni tradat opera vestra, & charitatē vestram, quam ostendistis in nomine ipsius; qui ministrastis sanctis, & ministratis. Cupimus autē vñquemq; vestrum eādem sollicitudinē ostendere, in consummatione spei vestræ vsque in finem. Et vt ne præcidatur vobis; sed sitis imitatores eorum, qui in fide, & patientia spiritus fuerunt possessores promissionis.

Non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostēdistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis & ministratis. Cupimus autē vñquemque vestrum eandem ostētare sollicitudinem, ad expletionem spei vsq; in finem: vt non sēgnes efficiamini: vtrumque imitatores eorum, qui fide, et patientia hereditabūt promissiones.

Non enim iniquus est Deus. Gracum & idios dicitur de iniquitate legi repugnante. Qui pactum non reddit stipendium post laborem, iniquus est.

Q 5

Ve

August. li.
1. ca. 11. de
orth. fid.

Vt obliuioni tradat. Deum obliuisci, vt etiam dormire, legimus: cum negat gratiam, quam suis dare consuevit, aut cum differt auxilium. Dantur egredientibus baptismalem fontem operis, ac mercedis conditiones: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Frigidam porrigenti premium repro mittitur: ni reddat, qui promisit, iniquus est. Cum igitur Hebræorum plerique, vt Christo gratificarentur, adiret quotidie capitis periculum, freti aeterna vite pollicitatione: ni fidem datam seruet, inquit Paulus, iniquum dicito. Opera sunt fides, fortitudo, tolerantia, & huiusmodi, ob qua iam promissis, sigillis vtriusque testam^{ti} confirmatis, Deus est nobis obligatus. Syris est ad verbum:

Vt Deus erret ab operibus vestris, nimirum, dum alijs mercedem numerabit, vos nequaquam est neglecturus.

Et charitatem vestram. Quanā hac sit, max demonstrat. Communicatio enim illa apostolorum non fuit diuturna, facile consumptis Ecclesie redditibus: ideo Paulus sportulas emendicabat.

Quam ostendistis in nomine ipsius. Colof. 3. Vult Paulus omnia fieri in nomine Christi, ubi quidam interpretes perinde valere aiunt, atque implorato Christi prius nomine. Nec deest ratio: cum ibi agat contra Simonis scholam Apostolus, qua partim ipsum Simonem, partim angelos mediatores, & seruatores inducebat. Neque id prorsus ab hoc loco alienum. Quia enim iudaizantes Hebraei erant insens; probabile est id ab iis vsurpatum. Certum est nihilominus istud precipue non spectasse Paulū; qui vult, vt sua opera ad Dei gloriam isti referrent;

vt

ut per ea nomen Christi laudetur, ac celebretur impensius. Nec illud disjungendum ab hac interpretatione, tum fieri in Christi etiam nomine, cum, ut illi sese approbet, quis aliquid molitur: nè dicam & hoc in nomine Christi fieri, quod promissionum illius fiducia geritur; quemadmodum undecimo capite dicuntur sancti veteres respexisse porro in remunerationem. Quod nobis esse debet vsui aduersus hereticos, indignum clamantes, si quis pius seipsum ad virtutem excitet spe præmij æterni. Hæc ad insignem Hebræorum commendationem pertinent, qui cum aliis operibus abundarint, tum in medijs grassationibus hereticorum nunquam destiterint de suis benemereri.

Trident.
sess. 6. cap.
11. & can.
26. & 31.

Cupimus autem vnumquemque vestrum. Non dicit volumus, quia imperiosum est verbum, ne à cepta modestia discederet: nec vos, nec vestrum quosdam eximios: sed vnumquemque.

Eandem sollicitudinem ostendere. Quia syri ferè semper exprimunt vocem σπουδῆν per chapitutho, illam intelligit vigilantiam, qua homo studio habet augere bona sua, denique perseverantiam. Cupio vos cursum intendere, & perseverare. Non sat est semel viros præstitisse bonos: sed cogitandum semper de addendis virtutum incrementis.

רכישותך

Ad consummationem spei vestræ vsque in finem. Rursum aliquid adiciatis olim reconditis thesauris, neque putatote vos consummasse, & iam adeptos illam πληροποιῶν: sed ut loquitur D. Petrus, per opera bona vocationem vestram in tuto collocate. Nec iuuenis expectet, nec desperet decrepitis: sed uterque quândiu lux est, operetur. Facit hic lo-

2. cap. 1.

cus

cus ad spei certitudinem commonstrandam, & ad excitandos animos ad operandum.

Et ne præcidatur vobis. videlicet, spei consummatio, & plerophoria. Aut ergo: Hoc etiam volo. Nisi sitis ita solliciti, excidimini. Græci habent πρὸς τὸν θεὸν ὑμῶν. Atqui iam tales esse eodem vocabulo superiori capite dixerat segnes, & imbecilles ad audiendum. Respondent prius ita dictos, quia non erant tales, quibus tuto traderentur mysteria: hic autem ob animorum segnitatem. Dum enim bonis operibus superfedet Christianus, multorumq; anteactorum bonorum sibi conscius ieiunat rariùs, lentius dat elemosinas, orat remissius, dum securus inter nugas seculi versatur: sensim ita redditur a virtute alienus, ut difficilimum sit ad eam postea reverti, sicq; per momenta recedendo à bono, sit transitus ad peccatum. Hinc facito periculum, quàm pauci sunt, quò sperant, peruenturi.

Sed sitis imitatores eorum, qui in fide. Primum notandum est Apostolum clam irrepere ad suum institutum, nimirum, ut proponat Abrahamum in exemplum. Deinde ostēdet, quid sit opus factum, & quare debeant excellere filij Abrahæ, tandemq; rem eò deducet, ut capite proximo eundem componat cum Melchisedec. Quare non dicit: Estote imitatores Christi, ut nostri hodiè volunt aduersarij, egerrimè ferentes, ubi quis Dinorum Francisci, Benedicti, et aliorum se discipulum fatetur? Agitur autem procul dubio de fide formata, & charitate pradita: ut homo non tantum assentiatur fidei capitibus, sed simul ex formula eius professionis vitam instituat. Longo autem catalogo hos percensere

undecimo capite.

Et patientia spiritus. *Ad verbum est, In longitudine spiritus. Igitur præter fidem, et charitatem, longanimitas adsit oportet; ut cum ingruunt pericula, liberi in religione Christiana persistamus, quæri quod omnia sint in manu Dei.*

Fuerunt possessores promissionis. *Ostendit Abrahamum, Isaacum, & similes per fidem, laborumq; tolerantiam ad brachium peruenisse; ut eorum sequacibus reposita premia non ignoremus. His perstrictis, à digressionem sensim discedit ad id, quod est præcipuum.*

Syr.

Vulg.

Abrahamo enim	Abrahæ namq;
promittens Deus, cū	promittens Deus,
non haberet maiore,	quoniam neminem
per quem iuraret; iu-	habuit, per quem
rauit per semetip-	iuraret, maiorem,
suum, & dixit: Benedi-	iuravit per semet-
cendo benedicam ti-	ipsum, dicens: Ni-
bi, & multiplicando	si benedicens bene-
multiplicabo te. Et	dicam te, & multi-
fic longanimitas factus,	plicans multiplica-
& reportauit promif-	bote. Et sic longa-
sionem. Homines enim	nimiter ferēs, ade-
per maiorem se iurāt;	ptus est repromif-
& omnis contentio-	sionem. Homines e-
nis, quæ est inter ip-	nim per maiorem
fos, finis firmus est	sui iurant; & om-
per	nis

דעִיחֻוּ
deichuu-
doieh alij
pollicita-
tionem:
studiū, ac
propositū
tamen vi-
detur pas-
sim magis
vim Syram
referre.

Quæ reti-
net animā
nostram,
nē com-
moueat.

per iuramentum.
propter hoc am-
plius voluit Deus
ostendere posses-
soribus promissi-
onis consilium su-
um immobile, &
constrinxit eā iu-
reiurando duabus
rebus immutabi-
libus, quibus non
potest Deus mentiri:
vt consolatio maior
esset nobis, qui appro-
pinquauimus ei &
apprehēderemus, spē
nobis promissā, quæ
est nobis tāquā an-
chora certa in anima-
bus nostris, & immo-
bilis, & ingressa est
intra velum; quādo-
quidem eò præcessit
pro nobis Iesus, &
est

*nis controuersia eo-
rum finis ad confir-
mationem est iura-
mentum. In quo a-
bundantiū volens
Deus ostendere pol-
licitationis heredi-
bus immobilitatem
consilij sui, inter-
posuit iusiurandū:
vt per duas res im-
mobiles, quibus im-
possibile est menti-
ri Deum, foriissi-
mum solatium ha-
beamus, qui consu-
gimus ad tenendam
propositam spem;
quam sicut ancho-
ram habemus ani-
mae tutam, ac fir-
mam, & inceden-
tem vsque ad inte-
riora velaminis, ubi
præcursor pro no-
bis introiit Iesus,
secundum ordinem
Mel-*

est princeps sacerdotum in æternum in similitudine Melchisedec.
Melchisedec pontifex factus in æternum.

Discimus hac pericope, quantò pere Deus fidelibus suis voluerit consulere. Erat enim plus satis, cum pro sua liberalitate libenter nobis esse pollicitum, quibus nullum, nisi damnationis, esset meritum: ipse tamen non ignorans nostram diffidentiam, ac desperationem, sponte se iuramento adstrinxit, quia summam nouerat inter homines iurisurandi religionem. Et quia more hominum non potuit per se maiorem, per semetipsum iurauit: ut nos redderet inuictos contra omnem desperationem, & postmodum, in media licet desperatione, non dubitauerimus affore quandoq; finem laborum. Hæ sunt igitur anchoræ duæ, quæ nos deducturæ sunt usque ad ipsum sanctum sanctorum. Eò ergo tendunt omnia, Deum nos, quantum in se est, securos reddidisse de suis promissionibus: & proinde inexcusabiles eos, qui desponderet animum, quales apud Hebræos non deerant quamplurimi. Sed ad ipsam verba.

Abrahamo enim promittens Deus. Notus ex Genesi locus: Per memetipsum iurauit, &c. Quod enim Abrahamo tunc dictum est, ut ex hoc loco discimus, ad omnes fideles pertinet. Itaque nihil hic corporeum somniare debemus, sed beneficia colata per Christum in eos, qui fidem receperunt, quorum omnium colophon est vita æterna. Nec debemus tantum comparationem attendere, quod sicuti ipsi Abrahæ iurauit, ita & nobis: sed hoc potiùs, quando illi,

illi, tūm nobis promissit, ac iurauit.

Per semetipsum. Habent Syri: In animam suam. Quod propterea obseruandum, quia apud Ieremiam, seruata phrasi, dicitur iurare per animam suam: ubi aliqui videri posset ignari aliquid singulare.

Benedicendo benedicam tibi. Hac formula emphasim habet. Ego copie cornu bonorum effundam in te. Video quosdam interpretes de formula diuini iuramenti sollicitos, verba hac non Dei iurantem, sed iuramentum referentis angeli credere, & ad Hebraeam particulam, ei, quam septuaginta, & Lucas hoc loco ἢ μὴν, noster interpretis nisi, vertentem, confugere: quae tamen si non habere propriam iuramenti significationem, sed tantum ad seuerandi concedamus; tamen omnis adsertio Dei iuramentum est. Quocirca non cuiusuis tantum hinc vim obtinere iuramenti mihi persuadeo; sed etiam de iurationis, uti superius dictum est ad illud: Si intrabunt in requiem meam. Nisi benedixero tibi; habear vanus, & mendax. Interim credo praeteritum pro presenti positum furo. Laudant autem haeretici hanc diuini iuramenti formulam: nostras autem per Diuos, & Euangelium factas vehementer insectantur. Quid dicent, cum Jacob per timorem patris iurantem audient? Nempe, Deum denotari. At nos quoque per eum, a quo Matthaeo, Marco, Ioanni, Luca dictata sunt euangelia, & qui sanctos beauit, iuramus.

Et sic longanimis factus. In syro est ad verbum: Ipse prolongauit spiritum suum. Nimirum, ubi Deus illi sic promississet. Monetur Hebraei, ut exemplo Abrahami fortiter perferat, quicquid acciderit.

Et

Et reportauit promissionem. consecutus est benedictionem. Sicuti Deus illi se benedicturum promisit; ita copiosissimam fidelium posteritatem est adeptus.

Per maiorem. Si enim iurarent per aequalem, non facerent fidem, principem autem offendere iuramento non facile inducunt in animum.

Finis firmus est. Ad certitudinem pertinet. Finis est fidelis, verus, fiducia plenus, ut certum reddat utrumque. Atque olim hæc res se præclare habebat. Nædum enim iuramentum ratum erat, sed omnis sermo instar erat iuramenti: quod Christi, & Iacobi verba iam olim sanxerunt: nunc autem merito vota faciunt pijs omnes, ut prisca religio, castigatis periuris, & sceleris grauitate suppliciorum atrocitate manifestata, renocetur in orbem.

Propter hoc amplius voluit Deus. Poterat sola authoritate, & fide, qua apud omnes valet, persuadere suis cultoribus se non falsum fidem: sed cum vellet prolixissime cunctis inculcatum, nunquam mutatum iri beneuolentia huius consilium; istud περίσσωτέρον fecit; ut omnem tergiversantibus causam præcideret addubitandi.

Consilium suum immobile. schunedaiō non significat quodlibet consilium, sed decretum, sententiam, & quidem quæ promissionem habeat. Quicumque in filium meum credent, ac venientem in mundum amplectentur, benedicentur à me, donisq. perennibus beabuntur. Talis Dei patris sententia hoc consilio exprimitur.

Et constrinxit se duabus rebus immutabilibus, Elegans est verbum syrum chabscbeh quasi se

R

Deus

שׁוּדַיִם

חֲבִשְׁכֶּה

Epistola

Deus coniecerit in angustias, à quibus, nisi fidem liberet, eximere se non possit. Est enim perinde, ac si diceret, angustiauit. Et si igitur multi Christiani patetis non stent: tamen haud metuendum est, ne Deus mutet sententiam; qui ita se constrinxit, ut retractare promissum haud possit. Non sunt hac tamen indoctè accipienda; sed nostram ut mirè excitant gratitudinem.

Ut consolatio maior esset nobis. Noster per superlatiuum expressit. Quamuis autem Oecumenius, & Theophylactus παρὰ πλεονασμῶν, ambigua admodum vocem, per exhortationem explicent: noster tamen conueniens Paulo Syro, significatum consolationis elegit. Nihil enim aliud buiso, quam consolationem, cui adiuncta sit exhortatio, designat. Quia autem Deus non euestigio promissa repraesentat: opus est magna consolatione, & longanimitate: nè confertim irruentibus tentationibus, Dei promissionum fides elanguescat; si fortè per triginta, & amplius annos cum Abrahamo spem emere pretio compellamur. Nec incommodum est, quod Graci sequuntur; tàmetsi præter fontem. Si enim, ut sit interdum in longo certamine cum fortissimis aduersariis, lethale vulnus acceptum fuerit; si gladius excussus è manibus: nè fugias miser, nè despondeas animum, sta, irruere, neque te unquam victum putato. Hoc Lucas spectasse videtur, qui syram dictionem rabbo per ἰσχυρῶν vertit.

Qui appropinquauimus ei. Graci παραπύοντες habent; quod heretici sic accipiunt, quasi Paulus nos planè desperabundos esse inbeat. Scilicet, nisi desperet Christianus inter tot pugnas, & ingentia peri-

pericula; nisi suas opellas inutiliter adhiberi persuasum habeat: sperare, et seruari nō poterit. Sed quam sint hæc a Pauli mente aliena, monstrat syra lectio: neque tamen magis fauent latina, & græca dictiones. Ut enim Loth Sodomis digressus, sibi fugam consulebat in Segor: ita commune nostrum asylum nobis ostendit Apostolus. Sed qui hoc fit? Dum catechumenus videt manere catholicum iudicium, in quo sit positurus rationem omnium, quæ gesserit, cogitarit, duxerit; seq̃, non aliter, quàm per baptismum, à peccatis emundari posse: id agit, datq̃, nomen Christo; confugit ad Christum. Christianus, qui fortè pectoris hospitem spiritum sanctum exegerit, considerans indubitatum exitium, nisi succurrat poenitentia; animatur, ut benè confidat de Dei misericordia; cape sit in suo naufragio tabulam alteram, cōfugit ad Christum. Uniuersim itaque is ad Christum dicitur confugere, qui, quantum in se est, utitur Dei gratia, & auxilio, fungitur officio christiano; et quod reliquum est, sperat de Dei clementia. Et iam dictum est, non sola spe, sed & longanimitate Abrahamum consecutum esse promissionem.

Et apprehenderemus spem nobis promissam. Nisi benè animati, & recreati unica consolatione, nunquàm consequemur: sed dum vulnera dertergit poenitentia, dum persanat, fouet, alit eucharistia, dum multiplex Dei auxilium stantes confirmat, erigit lapsos, labantes retentat, nō antè remittitur impetus, quàm sit palma in manibus, Dei benedictione promissa, & sacramento firmata.

Quæ est nobis, tâquàm anchora certa. Atqui anchora iacitur in profundum: spes volucris pen-

Vetutis.
lat. legunt.
iustar.

na cœlum petit. Sed nihil obest apostolico instituto hac dissimilitudo. Anchoram si suspenderis, nihil efficies: sed infixam oportet, atque obrutam imo pelagi, si debeat quicquam adferre presidij. Sic homo christianus in hoc salo vite presentis, nihil habet certi, nihil usquam fixum offertur, nec terra stabilis, quam morsu stringat anchora, priusquam ad Deum, tanquam solidum fundamentum, ac terminum perueniat. Igitur spei maxima consolatio in tot rerum procellis, ac turbinibus instar dicitur anchora, qua nostra defixa navis, non temerè per inane feratur in cautes, & syrtes.

Immobilis. Quoniam interdum anchora arnis insidentes, tantum verrunt fundum aquoris, neque sistunt navem: Paulus hoc incommodum amolitur. Triumphabit enim christiana spes, prorsus emueri statione non valens, aduersus huius seculi turbines, ac desperationem. Non cedit anchora tua, non elidetur, non frangetur: tu tantum heroico pectore perseuera. Hinc discimus, quantopere has Dei promissiones admirari nos oporteat, quamq³ sit nobis optimè prospectum.

Vti ad
Matth. 27.
dictum est.

Et ingressa est intra velum. Non solum tuata, & firma est, sed altissime subsidit. Velamen fuit quondam quid inter locum sancti sanctorum, & adiutum templi. Eo igitur usque penetravit, ad medium (inquam) sancti sanctorum, anchora nostra. Quid hoc sibi vult? Anchora quanto penetrat altius, & funes longius euoluit, tanto haeret pertinacius: ita spiritali quodam modo in ipsum cœlum iactis anchoris, fortissime retinemur, ne per vastum æquor magno cum discrimine, & tantum non certissima perni-

cie iactemur. Si allegoriam detraxeris; hac erit sententia: Si spem conceptam mordicus retineamus: illa nos perducet ad regnum cœlorum.

Quandôquidem eò præcessit pro nobis, &c. Quia enim iniectis veluti uncis suis Christum apprehendit anchora: necesse est eodem, quo ille præcessit, nos subuehi. Nec ille simpliciter eo præcesserit: sed pro nobis, preparans iter, salebrasq; complanans, quia eius freti, & adiuti merito subsequimur. Græci, et Latini præcursores vocant, ut nos ponē sequentes preparatas offendamus mansiones.

CAPVT SEPTIMVM.



IOTIVS epistolæ membrum tertium deinceps prosequetur Apostolus & Christi sacerdotium cum sacerdotio veteris legis conferet: idq; tam accurate, ut etiam a nominibus argumenta deducat, nec loci, nec adeo eius, quod in scripturis omissum est, mysteria negligat. Et quia heretici mirum in modum insensu nostro sacrificio; cuius nos typum dicimus fuisse Melchisedecianum, quod hic ex genesi Paulus repetit: tam effrenate torrentes hic effundunt conuictorum, & blasphemiarum, ut ne ipsis quidem insontibus Deiparant creaturis, quæ in prima creatione Deo benedicente laudate sunt.

Præscribitur autem in syro Paulo titulus, unde totius ferè capituli verum scopum licet conicere.

Generatione Dei.

R 3

Syr.